

- solventes gabellam incidunt in penam legis Commissoriae.
- 14 *Penam legis commissoriae consistit in eo, quod non solvens gabellam amittat merces, quae fiant Gabellarii.*
- 15 *Lex Commissoria describitur, quod sit conventio, ut debito, tempore statuto non soluto res evadat Creditoris, vel Gabellarii.*
- 16 *Hac pena legis Commissoriae, vel ex pacto, vel ex lege potest habere locum in quocumque contractu, in quo, quis non solvit, quod debebat.*
- 17 *Emptio, & venditio non dicitur contractus conditionatus, resolvitur tamen sub conditione.*
- 18 *Non soluto integro pretio in termino constituto dominium non transfertur ipso jure in venditorem, sed solum ei competit actio personalis.*
- 19 *Liberum erit venditori, qui non recepit pretium, vel rem retinere ex pacto Commissoriae, vel agere ad pretium, sed electa una via non potest variare.*
- 20 *Emptor coactus restituere rem ob pretium non solutum, an teneatur etiam restituere fructus ex inde receptos, cum distinctione resolvitur.*
- 21 *Cōsideratur in eo casu, quod sit possessor bonae fidei.*
- 22 *Venditor si petat ab Emptore fructus recompen-sativos, non potest agere Commissoriae.*
- 23 *Emptor negligens solvere pretium amittit aras, quas dedit.*
- 24 *Commissoria pena incurritur ubi est negligentia, sublata negligentia nullum incurritur pena.*
- 25 *Resolvitur in quibus casibus in pignore possit contingere pactum legis Commissoriae, & n. 26. 27.*
- 28 *Debitor non potest consentire, quod pactum legis Commissoriae apponatur pignori, quia sepe creditor comitteret usuram, etiam a sponte date.*
- 29 *In contractu emptionis, & venditionis admittitur pactum legis Commissoriae, quia per illud dissolvitur venditio, at in pignore totum vergit ad commodum creditoris, quod est usurarium.*
- 30 *In pignore potest admitti pactum Commissoriae in hoc sensu, quod neglecta restitutione pretii pignus vendatur ad Astam.*
- 31 *Discutitur an pactum Commissoriae in pignore saltem Juramento firmetur.*
- 32 *Pactum Commissoriae respectu fructuum ad hoc damnatur tamquam pactum usurarii.*
- 33 *Afferuntur aliqui casus in quibus pactum Commissoriae possit sustineri in pignore.*
- 34 *Pactum Commissoriae non vitiat, sed vitiat in contractu pignorum.*
- 35 *Non solvens gabellam ipso jure incurrit penam legis Commissoriae, & merces perdit.*

- 36 *Quod intrat etiam si Mercator paratus esset solvere, si tamen pertransiit locum, & non solvit.*
- 37 *Lis contestata cum Mercatore vivente, qui non solvit gabellas, eo mortuo transmittitur ad heredes, & eos afficit, quatenus ad eos perveniunt merces, quae ceciderunt in commissum.*
- 38 *Fiscus, aut Publicanus, si negligat agere infra quinquenium contra fraudantem, non potest amplius consequi penam commissi.*
- 39 *Quod pertransiens, & non solvens gabellam a commissio poterit excusari in pluribus casibus. Primo si transeat per errorem involuntarii, quia ibi non est negligentia culpabilis.*
- 40 *Secundo, si exactor gabella deciperet transeuntem cum mercibus.*
- 41 *Tertio, si transportator mercium offerat se paratum solvere, sed Publicanus remittat.*
- 42 *Quarto, si Mercator non inveniat Gabellarium in officio, & deponat super Bancum pecuniam debitam pro gabella, evitat commissum.*
- 43 *Quinto, si quis faceret contractum nullum, & invalidum, quo casu non debetur Gabella.*
- 44 *Sexto, pena Commissoria non habet locum in exemptis a Gabella.*
- 45 *Quando Clerici transportant res suas, & Gabellarii velint Bulletas facere ad Portam pro cautione, donec cognoscant, an bona sint Clerici, & exempta, non possunt Gabellarii, nec debent ullo modo exigere grossetum, alias peccant, licet videri iudicatum, quod grossetum solvant pro Custodia pignoris, at non dato pignore cessat huiusmodi titulus.*
- 46 *Septimo limitatur, quod Mercator non cadat in penam commissi, si ex alio titulo ipse esset creditor, & sic utatur compensatione, quia tunc cessat negligentia.*
- 47 *Utrum pro foro conscientiae Mercator teneatur ad solutionem Gabellae sub onere restitutionis remissive.*
- 48 *Ignorantia Gabellae impositae regulariter non excusat a Commissio.*
- 49 *Minores non solventes gabellam possunt purgare moram, & penas Commissi evitare.*
- 50 *Quando negligentia famulorum faciat incurrire Dominum in Commissum remissive, etiam, quoad remedium.*
- 51 *Exempti a Gabellis, ut Rectores Provinciae, & Praesides non cadunt in Commissum.*
- 52 *Qualiter iustificetur lex penae Commissoriae, resolvitur iustificari quatenus Princeps, & Gabellarius, ita, & Mercatores exponunt se periculo lucri, & damni.*

ARTICULUS XXVII.

De Negligentia Mercatorum.



IN Mercatoribus, & Negotiatoribus ferè universalis est negligentia de rebus spiritualibus, amantibus magis lucra bonorum corruptibilium, quam aeternorum, quod Christus Dominus expressit *Mathei 22.*, figurata parabola hominis Regis, qui fecit nuptias filio suo, quod interpretatur Magnus Gregorius de Nuptiis in desponsatione Christi Domini cum Ecclesia, ad quarum nuptiarum participationem vocavit multos, ut Sacramentorum, bonorumque spiritualium communicarent fideles, sed invitati neglexerunt, & abierunt alius in Villam suam, alius ad negotiationem suam, ut ergo ex negotiatione lucrum facerent, Divini Sponsi Coelestes nuptias neglexerunt, ut autem intelligant qualis sequatur poena ex tanta culpabili negligentia, eis dicitur, quod sint vocati, sed non electi, dum dormierunt somnum suum omnis viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus suis: Vita namque praesens Mundi lucra sectantibus nox est, aquisitio somnium solatium, pecuniarum possessio inutile pondus, immò non possident, sed possidentur tamquam servi subiecti Domino, ac propterea dicunt viri divitiarum, quia divitiae non sunt virorum, sed ipsi divitiarum, & de eis, postquam coelestia neglexerint, terrena verò anxia negotiatione quaesierint, verificatur illud, stulte hac nocte repetent à te animam tuam, & ea quae parasti cujus erunt. Multoties nam que rapit Fiscus, quae non capit Christus, vel relinquunt alienis, ingratisque divitias suas, ut neque post mortem spiritualibus juventur suffragiis, quae neglexerunt viventes.

2 Nil magis desiderabile in mercatoribus, quam bona fides: *Bald. in c. si pro debilitate de officio delegati*, in quibus nihil melius bona fide, *glos. in l. à Procuratore C. mandati*, verum non omnes diligenter servant promissa, ommissis enim, qui dolose pleno marsupio fugam arripiunt, de quibus *Boer decis. 215.*, aliqui tamen inventi sunt, qui

propter morositatem, & negligentiam in adimplendis promissis, creditores suos notabili afficiunt damno, ex quo postea condemnandi veniunt ad lucrum cessans, & ad damnum emergens, quando reverà lucrum cessavit, aut damnum emerit; *Rota Genue. decis. 30. num. 8., & 9.*, quod communiter sentiunt Theologi, ut latè *Gibelin. de Usuris lib. 2. c. 5. art. 4.*

3 Hocque praeter ceteris velem Mercatoribus, & Negotiatoribus memoriae indebiliter insidere, quod ubi pactum, aut promissionem inierunt, se facturos, soluturos &c. absque interpellatione constituuntur in mora: *Farinac. repert. judicial. q. 75. num. 14., Menoch. de arbit. Judic. casu 210. num. 20., Roland. Consil. 57. num. 41., & facit tex. in l. stipulationes dividuntur, ubi D.D. ff. de verb. obligat.*, ita ut teneantur ad interesse, quo casu non excusantur, ex eo quod non fuerint interpellati: *Gibelin. loco citat.*, ubi n. 4., ex pluribus ostendit, quod pactum id potissimum operatur, ut negligens solvere, quod debebat, teneatur ad interesse.

4 Hinc autem recolenda sunt, quae notavimus in prima parte de mora, quae contrahitur, quando dies certa est apposta obligationi solvendi, praestandi, faciendi &c. Dies autem certa apposta in obligatione, importat pactum tacitum, quod operatur eundem effectum, ac expressum *l. 4. ff. de pactis, l. cum quidam ff. de rebus creditis.*

5 Suscipiens mandatum in mercatura, & negotiatione, si negligens sit in executione, vel administratione tenetur ad interesse, nam in eo negligentia habetur pro culpa, *l. in re mandata C. mandati*, ubi quod in re sua quisque est moderator, & arbiter, at in re aliena tenetur exactè, seu exactissime negotia aliena, suscepto mandato, gerere *l. diligenter ff. mandati*, alias negligens tenetur ad damna, & interesse: *Eminentissimus D. Card. Cerrus decis. 582. num. 7. 16., Rota Genue. decis. 159.*, an verò negligens mandataris tenetur de culpa levi, vel etiam levissima, distinguit *glos. in eadem l. in re mandata in V. exacto*, si mandatum suscep-

- pit in gratiam mandantis tantum, tunc tenetur de dolo, & lata culpa tantum, si in gratia sui ipsius tantum, ut in commo- dato, tunc tenetur de levissima, *l. ut certo §. interdum, & l. in rebus ff. commodati*, facit *tex. in l. quod Nerva ff. depositi*, si verò suscepit mandatum in gratia utriusque, hoc est cum lucro, vel mercede, ut in locante operas suas contingit, tenetur de dolo, culpa lata, & levi, non verò levissima, ut etiam post plures Theologos notat *Bonacina de contractibus disp. 3. quæst. 1. puncto 6. num. 7.*
- 6 Mandatarius verò, si alium substituit, nec mandanti intimavit, tenetur de negligentia substituti, *Eminentissimus Cerro decis. 615. num. 4., & decis. 582. num. 10., Gratian. discept. for. 395. num. 9.*
- 7 Præpositus alicui negotiationi tenetur de negligentia, & levissima culpa, *Bartol. in l. 1. §. & quia plerumque ff. de officio Præfetti Vigilum, & in l. quod Nerva in 4. q. ff. depositi*, quod potissimum habet locum, si Præpositus negotio sentiat aliquod lucrum *D. D. in l. qui mercedem ff. locati, Genua decis. 172. num. 1., & 2.*
- 8 Qui suscepit mandatum ad exigendum, si sit negligens in exactione, & interim cōtingat exactionem fieri impossibilem, vel quia debitor fit non solvendo, vel fugam arripiat, mandatarius, negotiorumque gestor tenetur de neglectis, & sic ad interesse mandati, cum Mandatarius teneatur non solum de exactis, sed etiam de non exactis ex sua culpa, atque ejus negligentia culpabilis est, *l. à Procuratore C. mandati, & l. in re mandata supracitata, Coccin. decis. 800. num. 4.*
- 9 Quod etiam haberet locum, si mandans ei statuisset terminum ad exigendum; vel ad aliud operandum, mandatarius ex negligentia differret, ita ut negotium fieret deterioris conditionis in damnum mandantis, mandatarius tenetur ad interesse, quia nocet ex sua culpa, & negligentia, ubi terminus sibi erat præfixus ad aliquid agendum, & neglexit, ex allegatis per *Seraph. decis. 220. num. 2., Cavaler. decis. 329. n. 3.*
- 10 Ut autem in prædictis casibus negligentia imputetur, requiritur, ut mandans probet mandatarii negligentiam, & ad eam probandam, non sufficit probare eum potuisse agere in termino, sed insuper, quod

creditum facile poterat exigere cessante negligentia, *Coccin. decis. 60. num. 4., & dec. 2125. num. 8., ubi num. 9., quod tunc negligentia incumbit onus probandi credita non fuisse exigibilia, quando ipse de hoc exciperet, quo probato, non amplius dicitur negligens.*

- 11 Mercator conducens ministros negligentes, ex quorum negligentia, vel sibi, vel aliis damnum sequatur, sibi imputare debet, & aliis damna tenetur reparare, quia conducendo eos ministros censetur eorum personas approbare, *l. damnum ubi glos. ff. de reg. Jur., Surd. decis. 62. nu. 8., Burat. decis. 665. num. 13., tum quia contrahens præsumitur scire qualitates ejus cum quo contrahit, l. qui cum alio, ubi Cognol. ff. de reg. Jur., ac propterea conducendo censetur scienter approbare.*
- 12 Venditor interpellatus ad consignandum emptori, vel suo ministro rem vendendam, per unicam interpellationem constituitur in mora, ita ut ad damna, & interesse teneatur emptori: *Rota coram Eminentissimo Cerro inter ejus impressas decis. 42. num. 1. per tex. in l. datio §. si per venditorem ff. de act. empt.*
- 13 Quia Mercatores præcipue in mercium transportationem tenentur solvere Gabel- las, & non solventes incidunt in penas legis commissoriae, idè placuit hic adnectere de negligentia ob quam fit locus pœnæ legis commissoriae, licet etiam possit hæc pœna incurri ab aliis, vel ex vi legis, vel ex pacto.
- 14 Pœna legis commissoriae, tunc intrat, quando propter negligentiam non solventis id, quod debet, & in termino præstituto, res vendita, vel alio modo exposita, incidit in commissum, eo modo quo res emphiteotica propter canonem non solutum, cadit in commissum, idè revertitur ad dominum directi, sicque hanc pœnam patitur emphiteuta propter suam negligentiam: *l. 2. C. de Jure emphit., & idè in l. commissæ ff. de Publicanis, & Vectigal. dicitur;* Nam quod commissum est, statim desinit ejus esse, qui crimen contraxit, & dominium rei Vectigali acquiritur, crimen autem in ea lege enuntiatum consistit in neglecta solutione vectigalis, seu mercis illicitæ vectæ, ut dicit *glos. in d. l. commissæ in Ver. Vectigalis*, vel dicitur lex commissoria,

- ria, quia deficiens in solutione committit in legem.
- 15 *Rodericus de annuis redditibus lib. 2. q. 2. nu. 24.* describit pactum legis commissoriae hoc modo (est conventio; ut debito tempore statuto non soluto, pignus pro eo debito obligatum creditori, pro ipso debito cadat in solutum).
- 16 Hæc pœna potest habere locum in pluribus contractibus, in quibus intervenire potest negligentia debitoris, non præstantis, quod debet, & primo in emptione, & venditione, ut est *tex. in l. quia ea lege, & in l. Commissariae Cod. de pactis inter emptorem, & venditorem;* E. G. vendidi tibi prædium, & solvisti partem pretii, facta obligatione solvendi reliquum infra annum, & pacto adiecto, quod si non solvas in termino, res sit inempta, & ad me revertatur.
- 17 Ex quo pacto resultat quæstio, an emptio, & venditio dicatur conditionata, & resolvit *Ulpianus in l. 1. ff. de lege commissoria*, quod potius dicendum est emptionem resolveri sub conditione, quam sub conditione contractum, & idè dominium transfertur absolutè, eo quod venditio est pura.
- 18 Hinc fit, quod non soluto pretio integro in termino constituto, non transfertur dominium ipso Jure in Venditorem, sed solum ei competit actio personalis, ad rehabendam rem venditam, quod tamen explicant Doctores cum hac distinctione, quod pactum legis commissoriae concipi potest dupliciter, aut verbis directis, qualia sunt si non solvas, res sit inempta, ut dicitur in *l. si fundus §. 1. ff. de l. Commissoria, & in hoc casu contractus resolvitur ipso Jure, & dominium ipso Jure transfertur in Venditorem, absque nova traditione, & agi potest rei vindicatione; aut verbis obliquis, ut vendo tibi fundum, & si intra annum non solveris integrum pretium conventum, fundus ad me revertatur, & in hoc casu intrat responsio supra posita, quod non transfertur dominium ipso Jure in Venditorem, sed solum ei competit actio personalis ad rehabendam rem venditam, *Antonell. de tempore legali lib. 1. cap. 67. nu. 28., ubi idè in hoc casu dominium non transferri ipso Jure, quia pactum legis commissoriae adicitur in pœnam; idèque restringitur Covarr. lib. 3. variar. cap. 8. num. 1., Barbosa in l. 3. C. de pactis inter emptor., & vendit. n.**

- 3., *Merlin. de pignor., & hypoth. lib. 4. tit. 4. quæst. 123. num. 2.*
- 19 Liberum tamen erit venditori, vel agere ad pretium, vel commissoriam exercere, ita ut electa commissoria, nequeat postea variare, *dicta l. si fundus §. eleganter ff. de l. Commissoria, Mantica de tacit., & ambig. lib. 4. tit. 29. num. 18.*
- 20 Et si eligat exercere commissoriam, resultat quæstio, an emptor faciat fructus suos, vel eos teneatur venditori restituere, & ratio dubitandi est, quia dictum est supra, venditionem esse puram, ac propterea transferri dominium in emptorem, res autem fructificat domino, & resolvit *Ulpianus in præcitata leg. si fundus §. 1. ff. de lege commissoria*, quod si emptor perdidit partem pretii soluti, fructus lucratur; quia venditor compensatur ex parte pretii sibi soluti, quam acquirit ex pacto, si verò vel nihil solverat, vel partem pretii soluti restituito prædio recuperat, tunc fructus restituit, tamquam recumpensativos, juxta æquitatem, quam considerat: *tex. in l. curabit præses C. de action. empt., & venditi*, quam æquitatem latius examinamus in articulo de negligentia Emptor., & Vendit., & hanc resolutionem ponunt, *Mantica de tacitis, & ambig. convent. lib. 4. tit. 29. num. 27., Gutierrez. de Gabelis q. 10. sub nu. 15., Scaccia de comerc., & camb. §. 1. q. 1. nu. 483.* ubi ampliat etiam si pactum commissoriae esset conceptum tam directis, quam verbis obliquis, & eodem §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 12. nu. 4. vers. primus casus, & post alios *Barbosa in l. commissoriae num. 12. C. de pactis inter emptorem, & venditorem;* aliam reddit rationem *Nerattius in l. lege fundo vendito ff. de lege commissoria*, nempe emptorem facere fructus suos interim currente termino perceptos, intellige, nisi venditor sibi dominium reservasset, sed data negligentia, quia fidem fefellerit tenetur fructus perceptos restituere in pœnam, vel etiam dici potest, quod emptor faciat fructus suos, sed non absolutè, & simpliciter, sed cum hoc, quod si ponatur conditio legis commissoriae, cogetur eos restituere, quia resoluta venditione, res reducitur ad non titulum.
- 21 Hinc aliud considerandum, quod donec est possessor bonæ fidei, ita facit fructus suos, ut eosdem consumptos, non cogatur restituere; notat *Giballinus de negotiat. lib.*